Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

sunt et latrones, sed non audierunt eos oves. Ego sum ostium. Per me si quis introie-
rit salvabitur, et ingredietur et egredietur et pascua inveniet. Fur non venit
nisi ut furetur et mactet et perdat. Ego veni ut vitam habeant et habun-
dancius habeant. Feria IIII. Actuum A.
In diebus illis. Stans petrus cum undecim, levavit vocem suam et locutus est eis: Vi-
ri iudei et qui habitatis ierusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite
verba mea. Non enim sicut vos estimatis hii ebrii sunt, cum sit hora tercia. Sed hoc est
quod dictum est per prophetam iohel: Et erit in novissimis diebus dicit dominus, effun-
dam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filie vestre, et
iuvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri sompnia sompniabunt.
Et quidem super servos meos et super ancillas meas in diebus illis effundam
de spiritu meo, et prophetabunt. Et dabo prodigia in celo sursum et signa in terra
deorsum, sanguinem et ignem et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras et lu-
na in sanguinem, antequam veniat dies domini magnus et manifestus. Et erit
omnis quicumque invocaverit nomen domini salvus erit. Actuum apostolorum
In diebus illis. Per manus apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe, et
erant unanimiter omnes in porticu salemonis. Ceterorum autem nemo aude-
bat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur
credencium in domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateis eicerent
infirmos et ponerent in lectulis et grabbatis, ut veniente petro saltem
umbra eius obumbraret quemquam illorum, et liberabantur ab infirmitate sua.
Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum in ierusalem, afferentes
egros et vexatos a spiritibus inmundis, qui curabantur omnes. Secundum Iohannem.
In illo tempore. Dixit iesus discipulis suis. Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me
traxerit eum. Et ego resuscitabo eum in novissimo die. Est scriptum in prophetis.
Et erunt omnes docibiles dei. Omnis qui audivit a patre et didicit venit
ad me. Non quia patrem vidit quisquam, nisi is qui est a deo, hic vidit patrem. Amen amen
dico vobis, qui credit in me habet vitam eternam. Ego sum panis vite. Patres
vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de ce-
lo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur. Ego sum
panis vivus, qui de celo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pa-